5.

DE

CARCINOMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICO-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
NEC NON ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XXIV. MENSIS JUNII ANNI MDCCCXLVIII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS LEOPOLD ERPENSTEIN
BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

C. WEICKHMANN, MED. ET CHIR. DR.
F. GEIST, MED. ET CHIR. STUD.
J. MITTMANN, MED. ET CHIR. STUD.

GRYPHIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Litteratura.

Hey, Practical observations in surgery. London 1803. Auszug in Langenbeck's Bibliothek für Chirurgie. Band I. 1807.

Abernethy, Surgical observations on tumours. Langenbeck's Bibliothek. Bd. I.

Wenzel, über die Induration etc. 1815.

Cruveilhier, Essai sur l'anat. pathol. 1816.

Cruveilhier, Anatom. patholog.

Otto, seltene Beobachtungen 1816.

J. F. Meckel, pathologische Anatomie. 1818.

Rouzet, recherches et observ. sur le cancer 1818.

Maunoir, über d. fung. med. u. haem. Uebers. Frankfurt 1820.

A. Scarpa, Sullo scirrho e sul cancro 1821.

Andral, Grundriss der patholog. Anatomie, übersetzt von Becker.

Meien, über die Natur der paras. Geschwülste. 1828.

Récamier, Recherches sur le traitement du cancer. 1829.

Bayle, traité des mal. cancéreuses. 1834.

Lobstein, Lehrbuch der pathol. Anat. Uebers. 1834.

Carswell, pathol. anatomy. Carcinoma.

Klencke, Untersuchungen und Erfahrungen.

Schmidts Jahrbücher Bd. 25.

John Warren's surgic. observ. on tumours. Boston 1837.

Chelius, Handbuch der Chirurgie. 1841.
Lawrence, medico-chirurg. transact. vol. III.
Langstaff, medico-chirurg. vol. VIII. IX.
Hodgkin, lectur. on the morbid anat. 1836
Hodgkin, medico-chir. transact. 1843.
J. Hope, Principles and illustrations of morb. anat. 1834
Valentin, Repert. für Anat. und Phys. 1837.
Joh. Müller, über den feineren Bau etc. 1838.
Vidal, du cancer du rectum. 1842.
A. Hannover, den pathologiske anat. etc. 1843.
Engel, Zeitschrift der Wiener Aerzte, Jahrg. 1. 1844
Jul. Müller, de tumoribus. Diss. Gryphiae 1844.
Günsburg, pathol. Gewebslehre. Leipzig 1845.
Lebert, physiol. pathol. 1845.
J. Vogel, pathol. Anatomie. 1845.
Neufville, de carcinom. 1845.
Gluge, Atlas der pathol. Anatomie.
Gluge, anatomische mikroskop. Untersuch.
Rokitanski, pathol. Anatomie. Thl. I. 1847.
Bruch, die Diagnose der bösartigen Geschwülste. 1847
Bock, pathol. Anatomie. 1847.
Albers, Leistungen in der Pathologie der bösartigen Geschwülste. Jahresbericht von Canstatt u. Eisenmann. Erl. 1847.

De carcinomate.

Cap. I. §. 1. Varias adhuc neque omnino naturae consentaneas constitutas esse de tumorum malignitate definitiones, quamquam et anatomiae pathologicae et chirurgiae peritissimi quique disciplinam eorum inprimis his ipsis temporibus accuratius tractabant, propter rei ipsius difficultatem nequaquam mirum videri potest. Permulti enim tumores, quum iisdem notis eademque structura sint praediti, saepius eodem, quamvis natura non congruant, nomine sunt notati. Quo fieri potuit, ut alii unum eundemque tumorum malignum, alii benignum existimarint. Caussas tamen, quibus scriptores permoti hos illosve tumores malignos seu benignos appellaverint, latius, ex quo tumorum doctrinam tractare ingressi sunt, afferre omitto, praesertim quum eorum sententiae recentiore tempore allatis contineantur. Nam ut taceam de Hunter, qui eos tomores dicit malignos, in quibus vis organica destruens vicerit restaurantem, de sententiis a Warren, Lawrence, Travers, Abernethy, aliis scriptoribus traditis, definitio-

nes hoc tempore ab ipsis artis nostrae principibus constitutas commemorare sufficiat.

Sic Engel neoplasma neque exoriens utrum fiet malignum nec ne (— nisi dyscrasia adsit —) posse dijudicari, neque exortum notas naturae sive bonae sive malae semper prae se ferre proprias contendit. Medicos autem morborum eorumque effectuum experientia ductos pseudoplasmatum naturam, metamorphosin, sequelas jam ab initio saepius concedit intelligere. Nullum exinde pseudoplasma ex se et sua natura posset nominari malignum, sed et benignum reddi malignum et malignum remanere benignum liceret. Quod quidem, etiamsi nonnunquam fieri potest, non tam commune tumoribus dicere fas est; etenim iis haud dubie datum, ut necessitate quasi interna et gignantur et naturam certam induant. Vogel autem eos tumores putat existimandos malignos, quorum elementa histologica corporis elementis justis plus minusve sint dissimilia atque quibusdam conditionibus internis dissoluta emollitaque substantiam circumsitam et circumdatam in eandem deducant eversionem. Quod quidem excidium fortuitis atque externis caussis nonnunquam possit impediri. Particulae autem pseudoplasmatum illae elementariae haud ita differunt ab iis, quae in partibus regeneratis atque hypertrophicis inveniuntur, ut peculiare quidquam iis sit vindicandum, deinde definitio dyscrasiam illam ac organismi constitutionem, ex quibus tumores maligni saepius ducunt quasi fontem, negligit. Sententia autem a Rokitansky notata haud parva gavisa est assensione, qua pseudoplasmata, quae quadam dyscrasia sive

exoriantur sive teneantur vel morbosam hanc constitutionem serius aut ocius adducant, appellat maligna.

Massa autem typhosa, scrophulosa, tuberculosa et carcinomata — quibus nonnunquam osteoides adnumerantur — maligna neoplasmata habentur. Jam hacce in dissertatione de carcinomate disputare nostrum sit.

§. 2. Tumores maligni nequaquam ex mutatis telarum normalium elementis originem ducunt et gignuntur, sed novae sunt formationes nominandae, quae quodam ex cytoblastemate a sanguinis plasmate praebito nascuntur.[1]) Quod cytoblastema (— a Lobstein materies kakoplastica nominatum) ab initio liquidum deinde fibrina in eo valente coagulatum, nutritionis vel secretionis more ita in materia organica deponitur, ut quasi intussusceptum vel inter telam organicam dispersum inveniatur. Materies autem haecce aut conformatur atque e. g. in cellulas, fibras, vasa sanguifera mutatur, aut manet amorpha. Quibus formationibus a natura tamquam datum est, ut dissolvantur non modo atque emolliantur sed etiam partium circumsitarum nutritionem impediant, ipsasque in eandem deducant eversionem. Qua quoque ratione carcinomatum formatio procedere videtur.

Carswell, Cruveilhier alii carcinomata intra vasorum capillarium systema conformari statuerunt, accuratioribus tamen observationibus blastema illud, quamvis ex sanguine

---

1) Rokitansky observationes nonnullas sequutus carcinoma hepatis medullare etiam ex normalibus elementis physiologicis exsistere opinatur.

coagulato infra vasorum systema interdum exsistere possit carcinoma, exsudatum sensu latiori nominandum constat. Quo in cytoblastemate simulatque inter telae sanae particulas elementarias depositum est, liberi exsistunt nuclei, formae ovatae seu rotundae, qui aut singuli aut complures levibus tenuibusque membranis paulatim circumdantur ac tum cellulae nomen accipiunt. Membranae autem — quae acido acetico facile dissolvuntur — liquore insuper pellucido impletae sensim solidiores et crassiores fiunt. Liquor deinde et nuclei permutantur. Nam et in liquore interea turbato corpora proteinosa et in nucleis unus pluresve nucleoli oriuntur. Quibus observationibus, Reinhardt ac Bruchio comprobatis, sententia illa Schwannii, qua nucleolos prae nucleis exsistere contendit, refutata videtur.

§. 3. Partes carcinomata componentes fibrae, cellulae, nuclei liberi, serum carcinomatosum, vasa sanguifera esse solent, quibus major minorve copia substantiae amorphae ac granulorum adjuncta reperitur. Quae cellulae non solum varias, ut postea videbimus, habere possunt formas, sed etiam uno vel pluribus nucleis instructae sunt, qui nucleolis iterum sunt praediti aut iis carent. Substantia illa amorpha, quae cytoblastema coagulatum habenda est, inprimis in carcinomatibus conformatis desideratur, quoniam ipsa ex illa cellulae ac fibrae gignuntur. Granula, partim adiposa partim proteinosa partim calcica, praesertim in carcinomatibus jam ad dissolutionem tendentibus adiuncta invenitur. Vasa autem sanguifera in omnibus

arcinomatibus aut his ipsis aut telae normali propria in- eniuntur, quamquam Rouzet, Scarpa alii se in scirrho asa non vidisse contendunt. Fibrae deinde carcinoma- um stroma formantes, modo fibrosarum, modo cellulosa- um telarum, modo musculorum organicorum fibris con- imiles sunt atque acido acetico pallidae fiunt, ita ut nterdum non nisi nuclei amplius discerni possint, modo ibris ex nucleis ortis (Henle's Kernfasern) ac telae elasti- ae pares apparent, quae acido acetico etiam manifestio- es redduntur. Atque fibrae hae plus minusve alveolos ic dictos conformant, qui aut intervallis sunt disjuncti ut ramificationibus anastomosibusve inter se conjungun- ur. Cellulae tum omnibus in carcinomatum speciebus nveniri videntur, eandem tamen neque formam neque copiam exhibent. Sunt enim alia carcinomata, quae ex natura magnum cellularum teneant numerum, ut omnino ex illis composita appareant, alia, quae paucis tantum cellulis sint praedita. Forma deinde cellularum vel ab initio ipso vel ex aetate evolutioneque saepius variat. Quum enim cellulae ex parte in fibras transmutentur variam, veluti caudatam, fusiformem, denticulatam, in- duunt formam. Quas cellulas varias scriptores nonnulli dividere conati sunt, neque magni momenti quid pararunt, quoniam perraro tantum eaedem formae in iisdem carci- nomatibus redeunt. Sic Vogel cellulas, quae hac in for- matione permanent neque in fibras mutantur, ab illis distinguendas putat quae metamorphosin ineunt. Illas

autem appellat permanentes, has transeuntes, atque in numero illarum habet:

a. cellulas caudatas,

b. cellulas compluribus nucleis exstructas,

c. cellulas majoribus inclusas minores,

d. cellulas pariete crasso praeditas,

e. cellulas separatione aut parietibus connatis duplices,

f. cellulas granulis impletas,

g. cellulas pigmento impletas.

Transeuntes vero cellulas fusiformes nominat, quippe quae eadem in axi in duos excurrant apices. Nullas autem cellulae carcinomatum sibi proprias formas ostendunt, ita ut ex earum praesentia diagnosis carcinomatum certe statui non possit.

Serum denique carcinomatosum, quod una cum cellulis nucleisque succum illum carcinomatum conformat, albumine, caseina, pyina, salivina, aliis compositum neque adhuc satis est examinatum.

§. 4. Quoad elementa carcinomatum chemica, Müller constare pleraque omnia e materia albuminosa demonstravit. Neque tamen albumen, quod proprie dicitur, continent, sed materiam illam, cui Mulder primus nomen corporum proteinosorum dedit; fibrinam enim multis inesse compertum habemus. Sunt quoque chemici, Morin, Collard de Martigny, Hecht, Wiggers, qui gluten inesse iis statuant, Müller vero hanc substantiam, quamvis ipse

in carcinomate reticulari invenerit, rarissime reperiri et fortuito a tela conjunctiva nondum morbo deleta admixtam existimat. Caseïna in analysi carcinomatum chemica virorum illorum neglecta a Boutin Limousineau in carcinomate alveolari pultaceo, a Müller constanter fere in carcinomate mammae atque in carcinomate medullari renum observata est. Varios quoque adipes in carcinomatibus inesse constat, etiamsi Th. Williams nunquam inventum in iis adipem contendit. Hauser observationes Ehrmannii sequutus, qui in carcinomate medullari adipem invenit similem cerebroto Couërbii, massam carcinomatosam parem esse nervorum medullae arbitratur, quam tamen opinionem haud defendi posse manifestum est.

§. 5. Carcinomata ab initio ita inprimis telas offendunt affectas, ut earum partibus elementariis sensim sensimque e situ normali remotis et compressis nutritionem intercludant easque atrophicas reddant. Alia deinde incommoda afferunt, quae praecipue ex organis sunt diversa. Si enim intestina, oesophagus, alii canales corripiuntur, organismus non modo morbo ipso laborat sed etiam alias ut turbationes, quae lumine clauso functioneque laesa efficiuntur, suscipiat coactus est. Carcinomata si e. g. nervorum truncos ramosve afficiunt dolores parant vel paralysin. Deinde tumores hi maligni, simulac creverunt vel sunt exculti, ex necessitate quasi a natura iis imposita in mollitiem transire et scindi solent; quo in decursu naturae conveniente vim exhibent in partes finitimas perniciosam. Evolutione enim carcinomatum absoluta molli-

tiem (quae chronica esse solet) variis in eorum partibus, alias in internis alias in superficie, incipere et ex carcinomate occulto apertum facere videmus. Quae mollities eo efficitur, quod singulae cellulae emoriuntur, discedunt, cum sero carcinomatoso materiam conformant purisimilem, quae quidem ab initio loculamentis inclusa est disseminatis, deinde tamen, septulorum dissolutione recessuumque confluxu cavitatibus continetur majoribus. Saepius deinde accidit, ut in superficie illa ulcerosa granulationes fungosae exoriantur, quae ex cellulis nucleosis constant et eo solum modo sunt a sanis granulationibus distinguendae, quod perraro in cicatrisationem excedunt. Fibrae tamen multo diutius huic reversioni resistunt et connexu demum cum organismo privatae emoriuntur, quo fieri videmus, ut fungus medullaris (quem Meckel tot mensibus, quot annis carcinoma necare dicit) e cellulis inprimis constans, multo prius quam carcinoma fibrosum mollitie dissolvatur. Chemica quoque mutatione exorta partes emollitae fiunt ichorosae, telas finitimas afficiunt atque in dissolutionem similem deducunt. Quo in decursu vasa sanguinea ac lymphatica saepius corroduntur, ut haemorrhagiae inprimis venosae exsistant, vel materia carcinomatosa vasa ingressa inflammationes ejusque sequelas producat.

§. 6. Metamorphosi autem hacce exorta saepius fit, ut carcinomata partes vicinas corripiant ac longius quasi prorepant. Quod facillime contingit, si ulla ex caussa e. g. exsudato inflammatorio seu hyperaemia in partibus con-

terminis major cytoblastematis copia affertur. Quo modo, exstirpatione facta neque tota cancrosa massa remota, carcinoma quam celerrime crescere videmus, quoniam vulneratione ipsa copiosa blastematis affluentia paratur. Amplificationem autem hanc ex cellulis maximam partem pendere viri multi arbitrantur peritissimi, ex quibus Günsburg conjicit, cellulas caudatas, quum in liquore circumsito moveantur, irritatione quadam novas similesque gignere posse formationes. Longinquis etiam in partibus carcinomata posse nova ejusmodi pseudoplasmata procreare manifestum est, neque adhuc de caussis quidquam certi compertum habemus. Langenbeck cellulas in sanguinem receptas vi quadam vitali tumores carcinomatosos generare contendit. Experimenta enim in brutis instituit, canemque, cui materiam cancrosam in venam femoralem injecerat, brevi post tempore interfectum tumores carcinomatosos in pulmone habuisse confirmat. Quae experimenta, a Klenke eodem cum successu, ut dicit, prospero repetita, ab aliis vero, uti a Vogel, Valentin, Dupuytren in dubium vocantur. Alibert e. g. sibi et compluribus amicis inseruit materiam cancrosam; morbum tamen carcinomatosum inde orientem non observavit. Itaque certi ne tantillum quidem experimentis hisce intellectum est. Imbibitione autem blastema et una cum cellulis per vasa aperta in sanguinem transgressum locis in diversis coagulata in sanguine carcinomati similia efficere posse haud volumus negare.

§. 7. Summae in carcinomatum numero et magnitu-

dine et forma existunt varietates. Modo enim sunt pauca modo multa, modo magna modo parva, modo certis modo incertis terminis circumscripta, modo vicinis partibus intime conjuncta inveniuntur, modo solute iis cohaerent. Omnibus fere in corporis partibus, tela excepta cornea, carcinomata observantur, ita tamen, ut systemata et organa alia prae ceteris arripiantur, alia aut perraro aut secundario tantum morbo (— ut pulmones, splenem, glandulas salivales, intestinum tenue afferam —) vel ex contiguo i. e. carcinomate longius serpente afficiantur.

Quoad carcinomatis singulis in organis frequentiam Rokitansky dicit, uterum, mammam, ventriculum, colon, rectum, glandulas lymphaticas, praecipue ad partem columnae vertebrarum abdominalem, saepissime hoc morbo laborare, rarius in hepate, peritonaeo, ossibus, rarissime in cute, encephalo, bulbo, testibus, ovariis, renibus, glossa, oesophago observari carcinoma. Tametsi homines aetate provectos carcinomati inprimis obnoxios esse constat, tamen neque juvenes neque infantes, neque foetus quidem hoc morbo non tanguntur. In foetibus enim carcinoma medullare observatum est. Mammae autem, uteri, ventriculi, intestini carcinoma mediae ac grandioris aetatis est, glandularum contra lymphaticarum, encephali, bulbi aetatis puerilis. Mulieres denique saepius quam mares carcinomate corripi observationes, quae dicuntur statisticae, satis superque demonstrarunt.

§. 8. Jam nobis aliae, metamorphoseos carcinomatum ac dyscrasiae perniciosissima in corpus humanum vi

excepta, conditiones pathologicae sunt commemorandae, quae saepius cum cancro combinatae apparent. Haemorrhagias, inflammationes, organorum cavorum stenosin, pyaemiam, hydropes dico. Quibus in morbis procreandis permulta videmus momenta valere. Haemorrhagiae enim non modo sanguinis stasi in carcinomatum propinquitate pressu exorta, sed etiam facile vasis sanguiferis eversione carcinomatosa corrosis gignuntur. Deinde saepius contingit, ut substantia, uti fungi s. d. haematodis, sanguine abundans ex parvis caussis sanguinem mittat, quod in ventriculi atque intestini recti carcinomate fieri solet. Inflammationes autem non solum in organis ipsis affectis sed etiam aliis in partibus carcinomate provocantur. Si enim cujuslibet organi membrana mucosa vel ipsa vel circuitione quadam carcinomate corripitur, catarrhi exsistunt et verae inflammationes. Sic uteri, intestinorum, ventriculi, aliorum organorum carcinomate peritonaeitis exoritur. Eodemque modo pleuritis, pneumonia, pericarditis (— morbi frequentissimi —) generantur. Saepius quoque cancroso ichore resorpto phlebitis ac lymphangioitis subsequuntur. Neque rarius organorum cavorum stenosin observant. Carcinoma enim sive membranas hujusmodi organi ipsas corripiens sive circumjacentibus telis insidens canalis lumen plus minusve coarctat. Quo organum nonnunquam invium redditur ejusque supra stricturam sita pars sensim dilatatur. Hydropem deinde et ex hydraemia, carcinomatosa dyscrasia nata, originem ducere et eo gigni videmus, quod sanguis, quominus refluat, car-

cinomate impediatur. Pyaemia denique letalis ut aliis in morbis sic in cancroso, materia morbosa resorpta, producitur.

§. 9. Quod jam ad carcinomatum pertinet exitum, semper fere eum esse latalem non possumus, quin dicamus. Ocius enim aut serius tabem saepius, anaemiam, hydraemiam, virium nimio pseudoplasmatum incremento effectam consumptionem aerumnosorum hominum mortem observamus accelerare, nisi medico, ut removeat malum, succedat. Neque meliorem exitum habent pneumonia, pericarditis, alii morbi subsequentes. Organis autem ad vitam utique necessariis carcinomate correptis mors quam celerrime advenit. Perraro tantum ipsa adjuvante natura carcinomata minui vel exstingui videmus. Partes enim cancrosae haud parvi ponderis nonnunquam detruduntur, quo factum est, ut Bayle, Cayol, Cline, alii carcinomati exitum vindicarent gangraenosum, quo, ut putabant, materia carcinomatosa dejiceretur ac sanatio effici posset. Quae materiae detrusio ex eo potest illustrari, quod, partibus circumsitis eversis, vasa sanguifera exstinguuntur et, nutritione hoc modo impedita, purulentatione bona partes morbosae a sanis removentur. Quod in mammae et uteri carcinomatibus observatum est. Neque omittendum est, tumores carcinomatosos eodem modo quo tubercula, salibus anorganicis in iis ipsis repositis, sanari posse atque in carcinomate solidiore medullari et fibroso condensationem quandam ac rigorem interdum observari, quibus pseudoplasmata, etsi non omnino, paululum saltem redduntur innocentia.

§. 10. De carcinomatum natura, utrum communi totius corporis morbo generentur, an in singulis solum corporis partibus sedem teneant, quam maxime autores adhuc dissentiunt. Sunt enim alii, qui carcinomata semper ex quadam corporis constitutione originem ducere semperque totius corporis morbos esse existimanda dicant, alii qui pseudoplasmata haec et ex iis certas inprimis formas quibusdam sub conditionibus solummodo esse localia arbitrentur. Richter e. g. carcinoma ab initio topicum esse, deinde ichore carcinomatoso resorpto morbum fieri universalem existimat; Richerand carcinoma superficiale et insaccatum morbos locales, Walther, Wardrop, alii scirrhum primum localem deinde morbum esse communem contendunt. Carcinomata etiam tum esse localia quum symptomata communia jam apparuerint Nicolai asserit. Rust vero carcinoma — quamvis aliam priore tempore protulerit sententiam — nunquam malum esse locale affirmat, neque aliter Benedict, Fischer; Cohen, Jörg, E. de Siebold, Chelius, Meissner, ceteri sentiunt. Multi denique medici peritiores, ut Horn, Maunoir, Graefe, mediam ingressi viam, carcinoma nunc localem esse morbum nunc ab universali affectione pendere existimant. Atque qui carcinomata localia esse defendunt, pseudoplasmata haec operatione instituta exstingui posse pro argumento afferunt. Observationibus enim a viris chirurgiae peritissimis commemoratis, tumores carcinomatosos exstirpatione vel semel facta vel repetita plane esse exstinctos neque rediisse satis doceri putant. Neque ad-

versariis hoc probatur. Carcinomata enim, quantumvis accurate exstirpata, semper redire arbitrati, tumores, qui post exstirpationem non redeant, neutiquam fuisse carcinomatosos contendunt. Attamen, carcinomata semper ut redeant necesse esse, si praemittunt atque hocce praemisso nixi tumores illos, qui exstirpatione facta non redeant, carcinomatosos non fuisse contendunt, ipse haud dubie in orbem redeunt, Falsam hanc conclusionem Duparcque illustrat: „le cancer, inquit, est incurable, parce qu'on ne le guérit pas ordinairement; on ne peut le guérir, puisqu'il est incurable; donc quand on le guérit, c'est qu'il n'existait pas.“ Esse tamen carcinomata, quae localia sint nominanda, illo carcinomate sic dicto caminariorum satis comprobatur. „The chimney sweepers, ait Travers, is the purest specimen of local cancer.“ Quod carcinoma in Anglia saepissime observatum sine dubio a fuliginis irritamento originem ducit. Fuligo enim cuti scroti plicatae atque ipsa jam sudoris secretione irritatae adhaerescens irritamentum maximum ponit, ex quo verruca — ab Anglis soot-wart nominata — formatur, quam postea ulcus sequitur carcinomatosum. Quo modo hoc exsistat A. Cooper (Diseases of the testes p. 227) satis illustrat. Travers, qui dispositionem quandam, priusquam carcinoma hoc conformetur, jam adesse universalem putat, cancrum illum, licet sit exstirpatus, constanter redire contendit. Earle vero prospero cum successu exstirpationem factam annotat. Alia quoque carcinomata ac praecipue quae in palpebris, naso, genis —

atque in ea parte, in qua corium in membranam mucosam transit, ut in labiis, ano, praeputio, oriuntur, saepius operatione exstincta esse constat. Quae quidem carcinomata irritamentis externis posse procreari videntur, ut hac in re Waltheri sententia, carcinoma illis irritamentis generari, quae non sufficiant ad reactionem in forma inflammationis provocandam, vera esse appareat. Nam ut unnum modo carcinoma labiorum afferam, hoc sane irritamentis externis exsistere licet opinari. Alibert enim, Bayle, alii observarunt, avium venditores, qui columbarum pullos alunt atque hoc in negotio eorum rostra ore excipiunt, persaepe carcinomate labii laborare. Neque aliter consuetudo fumum nicotianae per fistulam imprimis fictilem hauriendi caussa cancri labialis accusatur, praesertim quum haec carcinomatis species in viris saepius, quam in feminis, et labium superius hoc carcinomate quam inferius rarius affectum observetur. Has atque alias carcinomatum formas et caussis posse procreari externis et certe ab initio esse locales permulti contendunt, neque morbo per aliquod tempus durante, materiae morbosae resorptione, dycrasiam gigni propriam, ex qua nova oriantur ejusmodi pseudoplasmata.

Alii vero, sive ratione sanguinis elementorum chemica aliter ac in corpore normali valente, sive propria quadam materie sanguini immixta, statim ab initio carcinomatosam quasi adesse materiam arbitrantur, quae quidem in una vel altera corporis parte localisatione facta possit removeri; sin autem quid resederit, aut regenere-

tur nova exsistere pseudoplasmata morbumque maner constitutionalem. Haec itaque dyscrasia aut ipsa ex san guinis crasi normali aut alia ex dyscrasia prodire dicitur Atque ut investigarent, quidnam esset in sanguine morbo sum, complures viri praestantissimi examinabant nec quid quam certi inveniebant. Andral hominum carcinomate labo rantium sanguinem saepius examinans hoc in fluido fibrina multitudinem modo auctam, modo minutam, modo normalen animadvertit. In carcinomate ventriculi tantum fibrinae quan tum in sano sanguine adest (— secundum Lecanu in mill atomis 2,948 —) ter invenit; alio in ventriculi cancro fibrin fuit minuta (— effecit 1,9 —) in hepatis bis (—3,7 et 5,0— in ovarii semel (— 4,5 —) adaucta. In altero uteri car cinomate fibrina effecit 5, 6, in altero, viribus aegrota confectis haemorrhagiis, 1,8. Fibrinam tum modo auger putat, quum tumores emolliuntur aut inflammatorius sta tus febriculosusve sequitur. Praeterea corpuscula san guinis paulatim minui intellexit, quod quidem, si orga nismi vires conficiuntur semper solet observari. Neque tamen fibrinam, neque sanguinis corpuscula, neque albu men, — si aliquid sit mutatum — sed materias sanguinis extractivas adhuc valde ignotas esse mutatas credit. Engel carcinomatosam dyscrasiam venositate sanguinis una cum albumine praevalente effici dicit, Heller vero fibrinosin accusat. — Sed alii contagio animato carcino mata generari atque hoc praeditas esse cellulas opinan tur, quippe quae infectione morbum provocare possint carcinomatosum. Quae oppinio jam a Zacuto Lusitano,

eyrilhe, Tulpio prolata experimento imprimis illo Lan-
enbeckii defenditur, ab aliis tamen, uti ab Alibert, Biett,
upuytren institutis, refutatur. — Sunt etiam, ut Adams,
Iodgkin, ceteri, qui alias hacce de re protulerint sen-
entias, neque aliud iisdem demonstrarint, nisi rem esse
ifficiliorem, quam ut possit intelligi.

Quae de carcinomatum natura oriundique ratione di-
imus, si conjunctim consideramus, nihil fere certi ad-
uc exstare atque hanc rem esse tam reconditam, ut
omplecti eam mente nequeamus, nobis est confitendum.
)pinari tamen licet, nonnulla, quamvis quaedam dyscra-
ia saepius jam ab initio adsit, non deesse carcinomata,
quae certe primo sint localia, deinde vero illam producere
ossint dyscrasiam. Singula autem illa carcinomata sta-
uere, hoc in disciplinae statu, aeque coneris frustra, ac
si eorum vel dyscrasiae naturam velis detegere.

Cap. 2. §. 1. Partes illae, quas carcinomata formare antea diximus, elementariae quum singulis in tumoribus neque eundem exhibeant numerum neque eodem sint modo inter se conjunctae, variae oriuntur carcinomatum species, quae et ipsae finibus certis non sunt terminatae. Alia enim exstant carcinomata, quae sive cellulis sive fibris sive aliis in iis elementis histologicis praevalentibus in hanc illamve speciem sint redigenda, neque alia desunt, quae, quoniam eorum singulae partes vario modo sint compositae, variis speciebus adnumerari jure debeant.

Quae quum ita sint atque ne malignos quidem tumores a benignis omnino possint segregari, tumores ut accurate in classes disponantur haud fieri potest, sed formas, quae saepissime quasi prototypi inveniantur, statuere sufficiat necesse est. Quod ut perficerent alii autores alias vias sunt ingressi.

Priori tempore dum una tantum carcinomatum forma fuit comperta, quam scirrhum ejusque varios evolutionis gradus cancrum occultum et apertem appellarunt et tempore sequente a Burns, Hey, S. Cooper, Lawrence, Monro, aliis aliae constituebantur species, complures scriptores formas has disponere conati sunt. Sic Carswell carcinomata in duas tantum dividit species, scirrhoma et cephaloma, quorum illud omnino non, hoc autem vehementer organisationem appetat. Meckel, Abernethy, Alibert, alii varias carcinomatum secundum formam eorum externam species protulerunt, ex quibus Alibert sex classes instituit, cancrum fungoidem, terebrantem, eburneum, anthracineum, globosum, melaeneum sive tuberosum. Neque accuratius Schoenlein, qui carcinoma distinxit arteriarum sive aneurysma, venarum sive melanosin, nervorum sive fungum medullarem. Nostro vero tempore autores et normalium et pathologicarum telarum notitia accuratiore instructi, carcinomata melius divisere. Quam viam rationemque ingressus Müller carcinomatum divisionem, quam omnes plus minus postea sunt sequuti, optimam fecit.

Sex enim classes describit, carcinoma fibrosum seu simplex seu scirrhum, reticulare, alveolare, medullare,

melanodes, fasciculatum sive hyalinum, quibus tumoribus malignis osteoides insuper adjicit. Vogel deinde nominat carcinoma medullare cum fungo haematode, scirrhum seu carcinoma simplex s. fibrosum, melanodes, alveolare. Guensburg singulorum organorum carcinomata et ex aspectu, quem praebent oculo inarmato et ex elementis microscopicis dividit. Carcinoma enim ut ventriculi solum afferam in scirrhosum, medullare, gelatinosum digerit et secundum elementa microscopica carcinoma dicit cellulis latis, cellulis latis et oblongo ovalibus, cellulis caudatis et amplis, massam gelatinosam flavam continentibus vini colore. Rokitansky deinde carcinomata in quinque dividens genera affert:

1. Carcinoma alveolare (cancer colloide, c. aréolaire, gélatiniforme).
2. Carcinoma fibrosum s. simplex.
3. Carcinoma medullare;
   a) Carcinoma melanodes,
   b) Massam typhosam,
   c) Carcinoma villosum,
   d) Carcinoma epitheliale.
4. Carcinoma fasciculatum.
5. Cystocarcinoma.

Jam ut taceam de formis ab Hodes, Williams, aliis constitutis, singulas carcinomatum formas tractare eaque in quatuor genera primaria, carcinoma medullare, fibrosum, alveolare, epitheliale volo dividere, quorum primo melano-

des, fungus haematodes, carcinoma fasciculatum, villosum, secundo reticulare possunt subjici.

§. 2. Carcinoma medullare.

Genus carcinomatum illud, de quo nunc loquimur viri chirurgiae et anatomiae pathologicae peritissimi longum jam per tempus accuratissime tractarunt, atque variis non solum nominibus notarunt, sed etiam vario modo descripserunt. Burns, qui formam hanc primus investigavit, „spongoid inflammation" eam appellavit, Abernethy „medullary sarcoma", Hey et Wardrop fungum haematodem, Monro „miltlike tumour", Laennec „encephaloidem", alii alia nomina protulerunt Atque priori inprimis tempore permulti scriptores vario modo carcinoma hoc depinxerunt. Singulas tamen eorum aliorumve opiniones omitto commemorare, atque optimas ex iis, quum, quaenam sint falsae, non sim demonstraturus, satis habeo eligere ac proferre, iisque, quae ipse vidi, conjungere.

Carcinoma medullare, praecipue in hepate, renibus, ossibus, pulmonibus, glandulis lymphaticis, testibus observatum, tumores plerumque majores, perraro tantum minores conformat, qui et cum tela normali circumsista conjuncti ac quasi infiltrati et finibus certis terminati et quasi capsulis inclusi inveniuntur. Multae deinde et consistentiae et coloris varietates in carcinomate medullari obveniunt. Substantia enim modo ita est praemollis, ut ipsa fluctuatio tactu animadvertatur, modo medullae consistentiam exhibet modo durior observatur. Quae et propria ex carcinomatum ipso

initio praesente et stadio aetateque eorum profecta ructura pendet. Nam carcinoma illud nondum emollim durius solidiusque inveniri, emollitum vero pultis inar molle esse solet. Color autem e copia vasorum retiva vel e sanguine extravasato diversus saepius albus bservatur, cinereus ac subruber, qua ex caussa carcinoatum substantia haud inepte comparatur cum cerebri ubstantiis. Tumore autem hoc transverse persecto subtantia obvenit maximam partem homogenea, quae colore ictis fusci tincta fuscioribusque sparsa est maculis, quae artim vasis sanguiferis partim pigmento efficiuntur. Scisso vero carcinomate substantia aspera evadit et graulosa. Duae deinde sunt hocce in carcinomate substaniae distinguendae, quarum altera continet alteram. Continens autem illa stroma, haec contenta intrastroma ppellatur. Stroma fibris formatur, quae cellulis ad frequentiam semper superatae modo sunt exiguae modo conspicuae, atque tum vel parallelae currunt vel extra ordinem sunt positae. Atque structura solidiore praeditum stroma massam carcinomatosam complures in partes partitur ac lobos lobulosque conformat, quae partes saepissime ita solent inter se esse conjunctae, ut curvaturae quaedam corporaque conica oriantur. Quanto autem durius est carcinoma, tanto frequentius in eo obveniunt fibrae, ut saepius, molli carcinomate nullam fere structuram praebente fibrosam, durus cancer prae se ferat structuram radiatam. Cellulae deinde, quae intrastromatis medullarisque carcinomatis principuam efficiunt partem

et una cum blastemate liquido aliisque elementis stromate continentur, nihil praebent proprium sed formam ac structuram habent easdem, quae aliis quoque in carcinomatibus animadvertuntur. Sunt enim caudatae, fusiformes, majoribus inclusae minores vel alia forma praeditae ac nucleis cum uno vel pluribus nucleolis, aut massa granulosa instructae. Quod intrastroma e molli carcinomate guttularum instar, e duro filum tanquam vermiforme potest exprimi.

Carcinoma medullare non modo celerrime inter omnia carcinomata et copiosissime crescit, sed etiam propter cellularum multitudinem praevalentem facillime emollitum telam normalem propere evertit. Quae quum ita sint atque inflammationes insuper et haemorrhagiae hoc vasis abundans carcinoma saepius subsequantur, optimo jure carcinoma medullare nominatur perniciosissimum. Attamen hoc ipso in carcinomate, quam aliis in speciebus, saepius naturae auxilio sanationem quandam obvenire constat, quum incrustatione nonnunquam, exulceratione vel resorptione malum, etiamsi non exstinguatur, minui tamen observetur. Cui carcinomati praeter „mamary sarcoma“ (Abernethy), „carcinoma solanoides“ (Recamier) eosque tumores malignos, quos supra commemoravimus, aliae jam sunt adnumerandae quasi species haece:

Carcinoma melanodes,

Fungus haematodes,

Carcinoma fasciculatum,

Carcinoma villosum.

Carcinoma melanodes utrum proprium sit carcinoma atque ab ceteris diversum an carcinoma nonnisi medullare, in quo praeter elementa vulgaria pigmentum nigrum sit depositum, scriptores inter se dissentiunt. Laennec enim, qui primus hunc tumorem („cancer mélané") accuratius investigavit, esse dixit „une espèce particuliere de cancer" atque praestantissimos viros in suam adduxit sententiam. Alii vero, ut Walther, Meckel, ac recentiores inprimis scriptores, carcinoma melanodes eundem esse tumorem ac medullare demonstrare studuerunt. Hoc tempore inter omnes fere autores constat, carcinoma illud nihil esse aliud nisi carcinomatis praecipue medullaris formam, in qua pigmentum nigrum depositum partem solummodo efficiat fortuitam, uti in aliis neoplasmatibus et ipsa in tela normali esse soleat. Qua ex caussa Rokitansky carcinoma melanodes carcinoma medullare pigmento praesente modificatum esse nominandum seu medullare genuinum eo solum, quod pigmento careat, a melanode differre dicit.

Quod pigmentum et granulis liberis et cellulis contentum, ex parte corpusculis sanguinis corrugatis ac haematina dissoluta formari verisimile est Particulis quoque elementariis ac praecipue granulosis haematina inhaerescere (— quod Bruch saepissime fieri dicit —) videtur, quo granula pigmenti normalibus consimilia generantur. Cellularam autem membranae serius quam granula pigmenti oriri dicuntur. — Carcinoma melanodes, quod Cruveilhier dicit „le cancer mélanique est essentiel-

lement ne noli me tangere“ et Rokitansky virium consumptione et tabe quam cellerime interficere ait, valde utique est letale, pigmenti tamen praesentia hunc ad finem nihil agit, quippe quod nonnisi symptoma quasi malignitatis sit judicandum.

Fungus haematodes.

De carcinomate illo, quod primus Hey fungum nominavit haematodem ac Wardrop, Langstaff, Lawrence, alii eadem ratione tractarunt variae priori inprimis tempore prolatae sunt opiniones, atque scriptores, utrum fungus haematodes sui sit generis carcinoma appellandum, an alius carcinomatis solummodo species, valde inter se discrepuere. Quae Aberrethy, Maunoir, Boyer, Roux, Delpech, Meckel, Walther, alii statuerint de fungo haematode omitto afferre, quum hoc ipso tempore omnes fere autores, in anatomiae pathologicae disciplina optime versati, fungum haematodem carcinomati medullari esse subjiciendum judicent. Quamvis nonnulla pseudoplasmata reperiantur, quae et initio et primis evolutionis stadiis vasorum nonnisi amplificatione ac dilatatione formari, tum demum cum carcinomate medullari conjungi videantur, multo tamen saepius observantur tumores, qui jam a principio carcinomatis medullaris naturam prae se ferant, tum denique illam exhibeant vasorum abundantiam. Fungus autem haematodes praeter elementa illa carcinomatis medullaris vulgaria magna inprimis vasorum capillarium copia est praeditus, quae praeceptor meus Illustrissimus

Schultze in praelectionibus anatomico-pathologicis (dum in carcinomate mero medullari sint coarctata vel clausa) dilatata esse ac tenues degeneratasque habere dicit tunicas, ita ut facillime erodantur ac sanguinem non solum in substantiam cellularem propinquam, sed etiam, fungo aperto, ad externum versus effundant. Quo modo in carcinomatis substantia summa sanguinis copia extravasati et infiltrati oritur. Deinde saepius fit, ut cute facile deleta granulationes exsistant fungosae.

Carcinoma fasciculatum.

Quae carcinomata Müller primum, quum sint pellucida, hyalina, deinde propter texturam fibrosam fasciculata appellavit, propter mollitiem, quam prae se ferunt, carcinomati adnumeranda videntur medullari. Carcinoma hoc fasciculatum, consistentia carcinomatis medullaris praeditum, neque cellulas neque corpuscula possidet caudata, textura vero fibrosa est instructum. Fibrae autem, quae sub microscopio pellucidae comparent, per totam carcinomatis substantiam vario modo sunt trajectae. Partim enim a basi communi diversae abeunt ac tanquam penicilla per massam carcinomatosam sparguntur, partim inter se conjunctae fasciculos et fasces conformant, partim earum constructio quam maxime variat. Atque in sectione tumoris transversa vel tumore perrupto fibrae earumque ramificationes et anastomoses satis fiunt conspicuae. Vasis insuper carcinomata fasciculata abundant. Quam et structuram et consistentiam demonstrare, ejus-

modi carcinomata habenda medullaria, Bruch defendit, praesertim quum vel mero in carcinomate medullari et cellulae et corpuscula caudata nonnunquam possint deesse.

Carcinoma villosum.

Genus quoddam carcinomatum, in membranis et mucosis (inprimis vesicae urinariae) et serosis et in cute saepius observatum, Rokitansky carcinoma nominat villosum. Quod carcinoma hoc modo exsistere affert. Primum enim excrescentia funiformis ex partis affectae telis exorta ramos ac ramunculos ex libero fine emittit, deinde in villos (quod rarius statim ab initio fit) teneros transmutata, in superficie bulbosa fit atque imaginem tanquam brassicae botrytidis prae se fert. Nec unquam in villorum stromate membranoso succus colore albido vel ex albo rubro encephaloides deest. Atque carcinoma hoc ita vasis sanguiferis abundat, ut vel exiguis vulnerationibus haemorrhagiae efficiantur graviores.

§. 3. Carcinoma fibrosum.

Carcinoma fibrosum, quae una tantum carcinomatum forma priori tempore fuit comperta nomineque scirrhi appellata, duritia ita praestat omnia alia carcinomata, ut quanto veterius sit, tanto solidius duriusque soleat inveniri. Quod carcinoma, saepissime primitivum observatum, mammas praecipue, ventriculum (ad pylorum), intestinum crassum), telam cellulosam submucosam, rarius uterum, membranam serosam, telam cellulosam subserosam affi-

cere notatur. Atque parvos format tumores, inaequabiles, tumulosos, nodosos, qui aut parum minimeve sunt terminati aut, quod saepius in tela cellulosa organorum digestionis submucosa fit, infiltrati. Neque eadem semper forma praeditum est, quum in organis e. g. tubulatis annularem, in membranis serosis exsudati quasi fibrinosi referat formam. Color autem incanus est, aut ravus vel subcaeruleus. Carcinoma fibrosum tardissime, quum majore cellularum numero careat, crescens diu permanet cancer occultus et sero tantum vel omnino non emollitur. Scirrho autem emollito tegmentoque cutaneo perrupto ulcus exoritur carcinomatosum. Atque incommoda affert hocce carcinoma quam maxima, quum et pressu partes vicinas, uti nervos ac vasa, offendat et incremento canales crebro coarctet. Partes insuper affectae non modo ut conspissentur sed etiam ut corrugentur efficit, quo organa correpta et imminuuntur et rigescunt.

Quibusnam elementis carcinoma hoc durum (σκίῤῥος) difficileque persecandum inprimis sit compositum, jam ut accuratius afferam, fibras quam maxime hocce in pseudoplasmate praevalere neque elementum illud, nucleis cellulisque conformatum, embryonale (Rokitansky) neque vasa deesse nobis est dicendum. Scarpa quidem, Travers, Lobstein in carcinomate fibroso omnino non inveniri contenderunt vasa, observationibus tamen a Cruveilhier, Müller, aliis institutis semper iis inesse satis superque est demonstratum. Attamen singuli nonnunquam inter vasculosas partes inveniuntur loci, qui vasis omnino ca-

rere videntur, ita ut duplici nutritionis genere utatur scirrhus, quum et recta via sanguinem et imbibitione quasi pabulum ex vasis longinquis accipiat. Fibrae autem in scirrho, elementis, ut dixi, ceteris praevalentes, aut parallelae currunt aut singulis ex partibus tanquam radii exoriuntur, aut variis directionibus variisque angulis secant se aut alveolarem exhibent compositionem. Atque fibris sive telarum cellulosarum sive muscularibus organicis aut fibrillis sunt consimiles vel vicarium eorum blastema, quod in eo est, ut permutetur in fibras, invenitur. Quod utique amorphum solidumque blastema in scirrho saepius obvenit. Atque has inter vel juxta fibras elementum illud embryonale est positum. Nuclei autem frequentissimi rotundi sunt, nitidi, fuscis terminati lineamentis, cellulae vero varias formas exhibentes modo sunt subrotundae, aut angulatae, modo caudatae aut fusiformes et cytoblastos saepius continent vel majoribus sunt inclusae. Atque quo fibrae sunt in scirrho frequentiores, eo solidior est tardiusque crescit, quanto vero alia in eo praevalent elementa, tanto notae ejus propriae immutantur. Nam elementum illud embryonale si copiosius adest, structura scirrhi solutior fit atque carcinoma aut ipsas medullaris notas induit aut cum medullari se conjungit. Novis insuper vasis in substantia scirrhosa exortis illoque addito reticulo haec species, quam Müller reticulatam nominat, potest existere. Atque simili modo, fibris ut in carcinomate alveolari compositis, carcinoma fibrosum characterem nonnunquam alveolaris prae se fert.

Carcinoma reticulare.

Carcinoma illud Mülleri reticulare nequaquam ex notis anatomicis forma videtur esse peculiaris, sed fibrosum modo carcinoma habendum, cui reticulum sic dictum est adjunctum Quo carcinomate transverse persecto albida, luteola, subflava reticulum formantia punctilla ac striae cernuntur, quae eversione spontanea ac emollitione fibrosorum inprimis carcinomatum effici Müller arbitratur. Aliam autem de reticuli origine ac natura sententiam defendit Rokitansky. Reticulum enim dicit inflammationis rigidum esse atque in cruditate permanens productum, quod, elementis ipsius proteinosis, in pinguedines transmutatis, serius vel ocius dissolvatur atque efficiat, ut carcinomatis cellulae, eandem in metamorphosin inductae formam cellularum granulosarum (Körnchenzellen) induant. Carcinoma autem reticulare nonnisi citius crescens nimiaque vegetatione praeditum ac congestionibus inflammationibusque obnoxium esse carcinoma fibrosum. Bruch vero reticulum esse contendit exsudatum immaturum seu infiltratum, ex quo proxime cellulae conformentur. Saepissime hoc carcinoma in mamma (et quidem hoc in organo, ut Müller dicit, carcinomate fibroso frequentius) glandulis axillaribus, ventriculo, labiis observatur.

§. 4. Carcinoma alveolare.

Hanc carcinomatum formam (a Laennec „colloide“, a Cruveilhier „cancer aréolaire, a Hodgkin „gum cancer“ nominatam) primus omnium inter nostrates Otto observavit. Cruveilhier in duo dividit eam genera, „cancer aréolaire gélatiniforme“, gelatinam pellucidam, et „c. ar. pultacé, palpam turbidam continentem. Carcinoma alveolare aut in organi affecti telam infiltratum (uti in vetriculo et intestinis esse solet) aut tumorem formans genuinum capsulaque spuria nonnunquam circumdatum, saepissime in ventriculo, intestino, membranis serosis (et quidem una cum ventriculi seu intestini carcinomate in peritonaeo et omento) rarius in ovario, ossibus, renibus, utero, hepate observatum est, atque his in organis citissime crescit ac copiosissime. Ipse hoc carcinoma semel modo et quidem in recto observavi. Mense enim anni praeteriti undecimo homo quidem, quadraginta sex annos natus, qui bona adhuc firmaque valetudine usus unum abhinc annum carcinomate ani laboravit, in nosocomium nostrum, ut sanaretur operatione, receptus est. Praeceptor deinde meus, Illustrissimus Baum, sesundum Lisfrancii methodum, inferiorem recti partem carcinomatosam, tres pollices longam, exstirpatione removit. Quae operatio difficillima ita processit prospere, ut septem jam mensibus praeterlapsis ne tantillum quidem carcinomatis vestigium redierit *).

*). Dissertatione prelo subjecta aegrotum illum eodem morbo iterum laborantem ante tres dies in nosocomium rediisse

Praeparatum in museo Universitatis anatomico asservatur, et in disquisitione microscopica in theatro anatomico, a praeceptore aestumatissimo, Ill. Schultze, me praesente, instituta haec reperta sunt. Elementa illa capitalia, quae carcinomati alveolari proprium attribuant characterem, et fibrosum peculiarique modo dispositum quasi fundamentum et gelatina sunt nominanda. Fibrae autem, fibrillis compositae, telae cellulosae fibris consimiles, vario modo se decussant, atque in superficiali carcinomatis strato majora inter se habent intervalla, in profundo vero currunt angustae ac dispositionem praebent tanquam scirrhosam. Ex fibrarum fasciculis alveoli illi formantur peculiares, quibus altera carcinomatis hujus pars capitalis, gelatina, includitur. Atque singulae iterum, alveolorum terminos formantes, fibrae lacunas saepius inter se habent, quae item gelatina sunt impletae. Alveoli in strato superficiali diametrum $1/2''' - 1/100'''$ habent, ac modo inter se conjuncti, modo conclusi, materiam continent gelatinosam, quae omnino pellucida est et amorpha, sed undique vesiculis aut cellulis solitariis instructa. Quae cellulae aut fusiformes sunt aut caudatae plurimae vero omnino rotundae atque unum pluresve nucleos habent vel iis plane carentes inveniuntur. Ceterorum tamen carcinomatum cellulis majores ap-

---

audivi. Abhinc tres hebdomades circa orificium ani tumor exstitit, qui paulo post uno in loco ruptus fistulam reliquit stercoralem. Exploratione autem instituta carcinoma in musculis circa orificium ani positis rediisse et fistulam illam ipso in cancro sitam esse comperimus.

parent et teneriores. In nonnullis locis cellulae nucleatae magis confertae, et inde substantia gelatinosa minus pellucida apparent. Crystalla iis similia, quae Vogel tabula octava Fig. 14 depingi curavit, atque e phosphate ammonico-magnesico formata contendit, observavimus in substantia gelatinosa. Analysi chemica nullam hoc in carcinomate inesse collam Müller demonstravit, caseinae autem aliquantulum Boutin Limousineau investigavit. Atque crystalla in gelatina bacilliformia Müller invenit. Gelatina interdum, praecipue in carcinomatis superficie, sic est copiosa, ut alveolorum termini plane exstinguantur atque gelatina effusa carcinoma ipsum obtegatur. Alias alveolorum parietibus conspissatis quasi cystae exsistere atque carcinomata his ipsis formari videntur. Atque cum fibroso nonnunquam et medullari carcinoma combinatum observatur alveolare, quum et fibrae saepius structuram scirrhosam excipiant et massa encephaloides in superficialibus praecipue alveolis deponatur. Denique nobis est commemorandum, carcinoma hoc inflammatione atque ulceratione rarius corripi neque emolliri frequenter, ita ut ceteris, praesertim quum dyscrasia illa carcinomatosa minus sit conspicua, carcinomatibus sit benignius. In intestinis autem, quae saepissime effici antea diximus, normales sensim depellit telarum particulas atque stricturae ut oriantur efficit carcinoma. Contentis deinde intestinorum insuper stagnantibus et prementibus saepius fit, ut tunicae intestinorum morbosae rumpantur.

§. 5. Carcinoma epitheliade.

Carcinomata illa a Rokitansky epithelialia nominata ac propter habitum externum carcinomati medullari adscripta, speciem peculiarem complecti et transitum quasi e benignis ad tumores malignos facere videntur. Quae carcinomata saepissime in membranis mucosis et cute observata jam antea attigimus, quum de carcinomatum natura ac numne possint exstirpatione sanari quaesiverimus.

Haecce carcinomata, e. g. in cute exorta, neutiquam epidermidis solummodo hypertrophias (— qua caussa, ut sint benigna, efficiatur —) esse habenda, sed genuinos formare tumores, observationibus recentiore tempore institutis freti, non possumus quin arbitremur. Verae nimirum epidermidis, ut ait Bruch, hypertrophiae semper fere sunt benignae, maligniores tumores judicandi genuini, quamvis et ipsos aliis esse carcinomatibus innocentiores symptomata et anatomica et pathologica satis edoceant. Totum fere, ut dicit Rokitansky, carcinoma epitheliale nonnisi cellulis componitur, quae epidermidis cellulis aut epithelii lamellosi majoribus sunt consimiles. Cellulae autem variam exhibent naturam; nam excultae magnae sunt, depressae, uno vel duobus nucleis instructae, forma praeditae rhomboidali; veteres uti squamae aequae, nullo nucleo aut indistincto ornatae; novellae pellucidae aut circa nucleum granulatae. Quae cellulae non mutantur in fibras sed longiores solum factae aut

alias nonnunquam cellulas continentes substantia intercellulari connectuntur. Atque elementa illa triplici modo componi dicuntur. Nam et fibras conformant cylindraceas angulosasve, quae iterum inter se conjunctae fasces componunt et formationes producunt verrucis similes et areolares. Quae carcinomata in membrana praecipue mucosa laryngis, tracheae, ventriculi, intestini recti, vesicae urinariae, super cutem aut in cute et telis subcutaneis (imprimis in labiis, scroto, glande, praeputio) inventa variam et formam et magnitudinem exhibent, atque in cute quam maxime in ulcera degenerant carcinomatosa. Neque telam profundam, quamvis ab initio esse soleant in superficie, non afficiunt sed cartilagines vel ipsa ossa corripiunt. Quibus carcinomatibus illud quoque in facie inprimis grandiorum natu hominum ulcus observatum, adscripsit Rokitansky, quod a protuberantia quadam verrucae consimili ducit exordium atque stadium quasi embryonale carcinomatis veri epithelialis esse contendit.

VITA.

Julius Leopoldus Erpenstein, Gedanensis, catholicae fidei addictus, anno hujus saeculi vigesimo tertio natus sum patre Joanne, matre Anna Rosalia e gente Krause, quos superstites pio gratoque animo veneror. Primis litterarum elementis imbutus tempore autumnali MDCCCXXXIV gymnasium Gedanense adii, quod adhuc sub auspiciis Cel. Engelhardt floret. Inde testimoniis maturitatis instructus tempore paschali MDCCCXLIV almam Gryphiam petii et ab Ill. Huenefeld, tum Rectore Magnifico, civibus academicis, ab Ill. Berndt, tum Decano Gratiosi Medicorum Ordinis maxime Spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Per quadriennium hos Illustrissimos praeceptores audivi:

Ill. Stiedenroth disserentem: de logice et psychologia;

Ill. Hünefeld: de chemia et organica et auorganica et theoretico-practica, et pharmaceutica et physica, de mineralogia;

Ill. Hornschuch: de botanice universali, de zoologia, de historia naturali; Eundem corpora naturalia musei zoologici demonstrantem audivi nec non in excursionibus botanicis secutus sum;

Cel. Schulze: de chemia organica;

Ill. Barthold: de historia recentioris temporis;

Ill. Schultze: de anatomia universali et comparata, de osteologia et syndesmologia, de anatomia corporis humani, de physiologia, de anatomia pathologica, de arte cadaverum rite dissecandorum;

Cel. Laurer: de angiologia, de splanchnologia, de anatomia organorum sensuum, de arte fascias rite alligandi;

Beat. Berndt: de morbis puerperarum, de operationibus obstetriciis, de historia medicinae;

Ill. Litzmann: de encyclopaedia et methodologia medica, de arte formulas medicas concinnandi, de pathologia et therapia generali, de semiotice morborum pulmonum et cordis, de auscultatione et percussione eorundem organorum;

Ill. Baum: de chirurgia, de fracturis et luxationibus, de morbis oculorum et aurium, de akiurgia; etiam in clinico et chirurgico et ophthalmiatrico atque in exercitationibus operationum chirurgicarum in cadavere institutarum Idem mihi dux fuit.

Ill. Berndt: de pathologia et therapia speciali, de arte obstetricia, de explorationibus et operationibus obstetriciis, de

morbis psychicis, de medicina forensi; Idem mihi dux fuit in clinico et medico et obstetricio.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico examineque rigeroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina, chirurgia, arte obstetricia in me conferantur honores.

Theses defendendae.

I.

In hydroceles cura injectiones omnibus aliis medendi methodis praeferendas esse puto.

II.

Chirurgus, nisi medicus, recta medendi ratione caret.

III.

In pneumonia dignoscenda auscultatione carere non possumus.

IV.

Venaesectio est optimum antiphlogisticum.